



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Quid est Transubstantiatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. VII. 161

centio III. Corpus & sanguis Christi Jesu, ait Concilium, in Sacramento Altaris sub speciebus Panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis Pane in Corpus, & vino in sanguinem potestate divinâ.

Cap. Firmiers
De summa
Trinitate.

Quæst. 2. Quid est Transsubstantiatio?

Resp. Constat ex inductis auctoritatibus, transsubstantiationem esse conversionem, seu mutationem totius substantiæ in aliam substantiam, quæ illi succedit ex vi hujus conversionis.

Est primò conversio, seu mutatio, quia in transsubstantione una substantia transit in aliam substantiam.

2. Est *mutatio totius substantiæ in aliam substantiam illi succedentem*; per quod transsubstantiatio distinguitur à quacumque alia mutatione tam substantiali, quàm accidentali. Primo ab accidentali, in qua substantia non mutatur nisi quia recipit novum accidens, quod non habebat. Secundò à mutatione substantiali, sive contingat per conversionem, aut creationem, sive annihilationem. Nam in conversione substantiali, naturali, & consueta tota substantia non mutatur, tam quoad materiam, quàm quoad formam, cum materia semper remaneat: at in transsubstantiatione nihil remanet, neque materiæ, neque formæ. In creatione quoque, una substantia non mutatur in aliam substantiam, sed producitur ex nihilo; & in annihilatione una substantia redigitur in nihilum; in sola igitur transsubstantiatione una substantia transit, seu mutatur in aliam.

Tertiò est mutatio, quæ fit *Ex vi & virtute conversionis*, quia in transsubstantiatione necesse est, ut substantia desinat esse per eandem virtutem, quæ aliam ejus loco producit;

S. Ambros.
lib. de ini-
tiandis, cap.
9.

quare, ut ait sanctus Ambrosius; *Si tantum valuit sermo Elia, ut ignem de caelo depromeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?*

Quest. 3. Remanet ne aliquid de substantia Panis & vini post consecrationem?

Conc. Trid.
sess. 13. Can.
2.

Resp. Est de fide definitum in Concilio Tridentino, totam substantiam Panis & vini mutari in substantiam Corporis & sanguinis Domini. *Si quis dixerit, in sacra-sancto Eucharistia Sacramento remanere substantiam Panis & vini unà cum Corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi, anathema sit.*

Can. Omnia.
De Consecr.
dist. 2.

Rationem autem hanc affert Divus Ambrosius relatus in Canone; *Omnia, inquit, quaecumque voluit Dominus fecit in caelo & in terra: & quia voluit, licet figura Panis & vini hic sit, omnino nihil aliud quam Caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa veritas ad Discipulos haec inquit: CARO MEA EST PRO MUNDI VITA.*

Cath. Conc.
Trid. parte
2. de Euchar.
nu. 38.

Quest. 4. Si nihil remanet de substantia Panis post consecrationem, quare Sacramentum Eucharistiae dicitur Panis in Scriptura sacra?

Resp. Ut ait Catechismus Concilii Tridentini: *Mirandum non est, si post consecrationem Panis etiam vocetur: Hoc enim nomine Eucharistia appellari consuevit: tum quia Panis speciem habeat, tum quia naturalem alendi & nutriendi Corporis vim quae Panis propria est, adhuc retineat. Eam autem esse Sacrarum litterarum consuetudinem, ut res ita appellet cujusmodi esse videantur, satis ostendit quod in Genesi dictum est, tres viros Abrahae apparuisse, qui tamen tres Angeli*